

gat, et evidens adsit periculum perdendi dotem. — Resp. II. Dantur nihilominus casus, in quibus uxor etiam durante matrimonio dotem suam vel omnino repetere, aut pro ejusdem conservatione fidejussores, aut aliam sufficientem cautionem exigere potest. Probatur inductione. Nam. I. Si maritus sua culpa ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet, facultates ejus non esse sufficientes assecurationi dotis, vel certe esse periculum illius, potest mulier exigere dotem suam, textu expresso l. *Si constante*, 24. princ. ff. *Soluto Matrim.* ita tamen, ut non maneat penes uxorem, sed vel detur ad sequestrum, vel cuidam mercatori, aut alii securæ ac licitæ negotiationi, ut inde honestum lucrum haberi, et onera matrimonii sustineri valeant, arg. c. *Per vestras*, 7. h. t., et ibi Barbosa, n. 7; Surdus, de *Aliment.* tit. 9, q. 40, n. 37; Engel, h. t., n. 9 et alii.

56. *In quo casu in arbitrio judicis est, an cautionem uxori assignare, vel restitutionem dotis adjudicare velit.* — Quod si in tali casu dos uxoris fidejussione, aut alia cautione sufficienter assecurari potest, tenetur mulier arbitrante judice acceptare; prout contra communem legistarum docet communior theologorum et canonistarum, teste Haunoldo, tract. IV, cap. v, contr. 6, n. 399, arg. cit., c. *Per vestras*, 7, h. t., ubi iudici mandat pontifex, ut in casu præfati periculi, marito sub cautione sufficienti relinquat, vel ad honestum lucrum committat mercatori, ibi: « Mandamus, dotem faciatis assignari eidem, sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera matrimonii possit sustinere. » Unde iudicis, non mulieris erit eligere, an dos fidejussione, aliave cautione, an vero committendo illam alicui ad lucrum assecurari debeat.

57. *Si absque culpa sua vir ad inopiam vergit dotem reddere non tenetur.* — Quando vir non ex sua culpa, dilapidatione v. g. ad inopiam vergit, ad restituendam dotem cogi nequit, ut bene observat Glossa in c. *Per vestras*, 7. h. t. §. *ad inopiam*, arg. Novell. 97, cap. vi, princ. ubi tunc tantum reddere dotem cogitur maritus, « si res male gubernat: » præsertim cum uxor etiam teneatur de sua dote virum inopem sustentare; l. *Mutus*, 73. ad finem, ff. *de Jure dot.*

58. *Si bona mariti confiscantur, uxor potest repetere suam dotem.* — II. Repetere potest uxor durante matrimonio suam dotem, si

bona mariti fisco inferantur, arg. l. *Si marito*, ff. *Soluto Matrim.* ibi: « Si marito, publico iudicio damnato, pars aliqua bonorum ejus publicetur, fisco creditoribus ejus satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est. »

59. *Enumerantur alix causa repetendi dotem durante matrimonio.* — III. Plures enumerantur causæ petendi dotem durante matrimonio, l. *Mutus*, 73. § 1. ff. *de Jure dot.* ibi: « Manente matrimonio non perdituræ uxori ob has causas dos reddi potest, ut sese, suoque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium, aut in insulam relegato parenti præstet alimonia aut ut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat. »

60. *Bona paraphernalia, seu parapherna, quæ?* — Quæritur IV. Quid sint bona paraphernalia, ac receptitia? et quid juris de illis? Ante responsionem notandum, bona uxoris esse triplicis generis. 1. dotalia, seu dos, de quibus jam dictum. 2. parapherna, seu paraphernalia, et 3. receptitia. Resp. I. Bona paraphernalia sunt, quæ uxor præter dotem affert marito, arg. l. *Hac lege*, 8. C. *de Pactis convent.* cum enim ex conventionem et pactis conjugum dependeat, quantum uxor pro dote dare, et maritus acceptare velit, l. *Si ego*, § 3. ff. *de Jure dot.* sæpe contingit, quod maritus totam substantiam, quam uxor seu sponsa habet, pro dote non accipiat, ne in simili quantitate donationem propter nuptias facere, aut contradotem assignare debeat, juxta dicenda infra num. 63. et tamen talia uxor secum afferat, vocantur hæc bona paraphernalia, *einzugebrachtes gut*. Talia bona paraphernalia sunt etiam ea omnia, quæ uxor post matrimonium jam contractum acquirit, et merito affert donatione, hæreditate, etc., hoc ipso, quod in dotem non computentur.

61. *Horum non dominium nec fructus, nec dispositionem habet maritus; nisi in quantum uxor concedit.* — Resp. II. Etiam si uxor marito bona paraphernalia afferat, et tradat, nullum tamen eorum dominium, sed nudam custodiam et administrationem ab uxoris voluntate totaliter dependentem, et ad nutum revocabilem habet; nec eorum fructus facit suos; licet eos concedente uxore in suam et uxoris, familiæque utilitatem ac necessitatem expendere valeat. Est communis, et caret controversia, arg. cit. l. *Hac lege*, 8. et l. fin. C. *de Pact. convent.*

62. *Bona uxoris receptitia, quæ? et quid juris de illis?* — Resp. III. Bona Receptitia sunt

eadem cum *Paraphernalis*, solo hoc cum discrimine, quod, quando uxor bona, quæ præter dotem habet, vel acquirit, sibi soli, et suæ dispositioni plene reservat, eaque administrationi, aut custodiæ viri non committit, vocentur bona uxoris receptitia: si vero illa viri administrationi et custodiæ committit, vocentur parapherna. De reliquo circa dominium eadem est ratio de receptitiis ac paraphernalis, potestque uxor de utrisque pro libitu disponere tam in vivis, quam mortis causa. Nec est in hoc ulla controversia.

63. *Donatio propter nuptias, seu contrados, quæ?* — Quæritur V. Quid sit *Donatio propter nuptias*, seu *contrados*? Et quid juris de ea durante matrimonio? Resp. I. Est res mobilis, vel immobilis, quam maritus ante vel post nuptias uxori confert in assecurationem dotis allatæ; nam sicut uxor marito affert dotem, ita maritus affert uxori donationem propter nuptias, seu contradotem, nostra vernacula *die Widerleg.* soletque ordinarie, et debet in valore æqualis esse ipsi dote, prout habetur Novell. 97, cap. 1, princ.

64. *Hujus administratio, et fructus durante matrimonio ad maritum pertinent.* — Resp. II. Constante matrimonio tam administratio, quam fructus donationis propter nuptias pertinent ad maritum. Layman, lib. III, tr. IV, cap. XIII, n. 10. Haunoldus, tr. IV, cap. v, contr. 2, n. 346. Abbas, in c. fin., h. t., n. 11. Sylvester, §. *Donatio*, 3, q. 3, cum communi, arg. l. *Ubi adhuc*, juncta Glossa §. *Sustentationem*, C. *de Jure dot.* ut proin præcipua hujus donationis utilitas durante matrimonio sit securitas dotis, pro qua obligantur uxori bona quædam viri.

65. *Tam filio dare tenetur pater, ubi adhuc est in usu.* — Resp. III. Donationem propter nuptias, seu contradotem filio dare jure tenetur pater, textu expresso l. fin. C. *de dotis promiss.* vide supra num. 37. Et quidem juxta quantitatem dotis a sponsa filii allata, ut bene docet Fachin. lib. VIII, contr. cap. LXVII, textus clarus habetur in Novell. 9, cap. 1, princ. Intellige, ubi adhuc hæc jura de donatione propter nuptias vigent; nam in pluribus locis sunt abrogata; in pluribus autem viget consuetudo, ut donatio propter nuptias vel omnino non, vel non æqualis dote detur, vel juxta pacta nuptialia, teste Sanchez, lib. VI, disp. 1, num. 1; Layman, lib. III, tr. IV, cap. XIII, num. 10.

66. *Morgengeba, quid? Et quid juris de ea?* — Quæritur VI. Quid sit Morgengeba, seu Morgematica? Et quid juris de ea? Resp. Morgengeba est donatio quædam, quam maritus facit uxori altera nuptiarum die in remunerationem delibatæ virginitatis. Ita in re communis. Ejus quantitas, quia in jure determinata non est, desumenda venit vel ex consuetudine, aut particularibus loci statutis, aut ex pactis nuptialibus. Communiter in pactis constitui solet tertia pars dotis, quam mulier attulit, ita, ut si dos ejusdem efficit 300 florenos, morgengeba efficiat 100 florenos, ut bene advertit Schmidt in *Statuta Bavar.*, tit. I., a. 1, n. 16, ubi addit, debere uxori morgengebam, etsi in pactis dotalibus nulla de ea facta fuerit mentio. Imo debetur etiam uxori, quæ nullam dotem attulit, cum, ut bene ibi advertit, pauperis puellæ virginitas æque ac divitis æstimanda sit.

67. *De jure non debetur viduæ.* — Viduæ, si cum aliquo contrahit matrimonium, morgengeba de jure nulla debetur, nisi specialiter de ea fiat conventio, prout fieri posse, bene advertit Schmidt, loc. cit.

68. *Ejus administratio ad maritum, proprietatis autem ad uxorem pleno jure pertinet, ita ut de ea etiam testari valeat.* — Resp. II. Quamvis morgengebæ administratio et fructus durante matrimonio ad virum pertineant, dominium tamen illius ad uxorem pertinet, ita, ut post mortem mariti eidem una cum dote restitui, vel si ante maritum moritur, de illa mortis causa disponere, vel hæredibus ab intestato, relinquere valeat. Layman, loc. cit., num. 11, cum communi. De hac morgengeba agit Sanchez, lib. VI, disp. 27, ubi tamen eam more Hispanorum arrham vocat, Molina, disp. 431. Schmidt ad *statuta Bavar.*, cit., tit. I, a. 1.

69. *De arrha. Remissive.* — Quæritur VII. Quid sit *Arrha*? Et quid juris de ea? Resp. Ad hanc questionem late patere supra tit. I. a. n. 176.

70. *Sponsalitia largitas, quid?* — Quæritur VIII. Quid sit *Sponsalitia largitas*? Et quid juris de ea? Resp. I. Sponsalitiæ largitatem esse eam, quam sponsi mutuo faciunt, causa, et tacita conditione matrimonii, ita, ut si matrimonium sequatur, plene confirmetur talis donatio, et donatum fiat donatarii, adeo ut etiam solutio dein per mortem matrimonio, restitui non amplius debeat. Sanchez, lib. VI, disp. 18, n. 2; Molina, tom. II, disp. 290, cum communi, arg. l.

Si mater, 12, et l. *Si a Sponso*, C. de Donat. an? Nupt.

71. *Si culpa donatarii non sequitur matrimonium, restitui debet donanti: si vero hujus culpa non sequitur, remanet illi.* — Resp. II. Si matrimonium inter sponso non sequatur, idque ob culpam donatarii, aut illius in cuius potestate est, tenetur iterum restituere sponsalitiā largitatem: si vero ob culpam donantis non sequatur matrimonium, repetere non amplius potest sponsalitiā largitatem alteri collatam. Sanchez, loc. cit., n. 4, textu expresso l. *Cum veterum*, 15. C. de Donation. ante nupt.

72. *Si nullius culpa, cuius restituitur suum, nisi osculum, aut copula fuerit secuta.* — Quod si vero neutrius sponsorum culpa, sed morte v. g. professione religiosa, etc. Matrimonium secutum non est, sponsus omnem sponsalitiā largitatem restituere debet: et e contra sponsa eadem a sponso acceptam reddere obligatur, nisi osculum, aut copula post sponsalia intervenerit; tunc enim sponsæ medietas sponsalitiæ largitatis remanet: sponsus autem nihilominus cuncta restituit, textu expresso l. *Si a Sponso*, 16. et l. *Cum veterum*, 15. C. Donation. ante nupt. vide de hoc amplius Sanchez, loc. cit.

73. *Plura de præfatis. Remissive.* — Plura de dote, donationibus propter nuptias, morgengeba, paraphernalibus, juribus, et proprietatibus eorundem vide apud legistas, ulpote ad quos hæc materia proprie spectat. Nos pergitur ad alteram hujus rubricæ partem canonistas magis concernentem, videlicet de dote post divortium restituenda.

§ III.

DE RESTITUTIONE DOTIS, ET ALIORUM SOLUTO MATRIMONIO FACIENDA: UBI ETIAM DE LUCRO TEMPORIS MATRIMONII ACQUISITO.

74. *Si matrimonium solvitur per mortem naturalem mariti, dos adventitia restituitur uxori.* — Quæritur I. An, et cui, soluto matrimonio restitui debeat dos? Resp. I. Si solvitur matrimonium per mortem naturalem mariti, dos adventitia integra restituenda est uxori. Communis, et certa, textu expresso C. *Solutio matrim.* et l. un. § *Accedit*, C. de *Rei uxori act.* juncto c. fin. h. t.

75. *Aliud est de profectitia.* — Dicitur autem notanter adventitia; quia dos profectitia reddit una cum dotata ad dotantem; si do-

tata adhuc est in potestate dotantis, cit. l. un. C. de *Rei uxori act.* tenetur tamen eadem dotem prius dotata iterum dare, si alteri nubuit, *Auth. Sed quamvis*, cit. l. un. C. de *Rei uxori act.* Quod si vero uxor jam est emancipata, vel si alibi statutum, aut consuetudo est, ut proles statim, ac nubunt, hoc ipso emancipatæ habeantur, dos est restituenda uxori per jura num. præced. citata. Ratio est; quia per emancipationem desinit esse profectitia, consequenter pleno jure reddit ad uxorem, ut per jura allegata cum aliis bene observat Layman, lib. III, tr. IV, cap. XIII, n. 6.

76. *Si solvitur matrimonium per mortem uxoris, dos adventitia restituitur proximis hæredibus uxoris.* — Resp. II. Si solvitur matrimonium per mortem mulieris, nullis ex illa exstantibus liberis, adventitia dos restitui debet proximis hæredibus defunctæ, juxta dicta; profectitia illi, a quo profecta est, si mulier tempore mortis nondum fuit emancipata, juxta dicta num. præced. et jura ibi allegata, quibus accedit l. *Avia*, 6. C. de *Jure dot.* et l. *Dos a patre*, 4. ff. *Solutio matrim.* ibi: « Dos a patre profecta, si in matrimonio decesserit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet. » Concordat l. *Si ab hostibus*, ff. eod. caretque omni controversia.

77. *Quid juris tunc de profectitia.* — Resp. III. Si moriente uxore extant ex illa liberi, dos adventitia illis utpote proximis hæredibus restituenda est, sicut et profectitia: nisi mulier nondum emancipata decessisset, per jura allegata; quamvis enim liberi ab intestato succedant parenti, exclusis ascendentibus quibuscunque, hoc tamen limitatur in bonis profectitiis, utpote quæ ad eum revertuntur, a quo profecta sunt, ut post Fachin. lib. III. *Controv. controvers.* 71. bene advertit Layman, lib. III, tr. IV, cap. XIII, n. 6, patetque ex Novell. 118, cap. 1. Verum, quia rarissime datur casus, quo uxor vel expresse non sit emancipata, vel saltem adsit statutum aut privilegium, quo per ipsum matrimonium habetur emancipata, hinc ordinarie dos etiam profectitia restituenda est liberis, vel aliis proximis hæredibus uxoris.

78. *Si solvitur matrimonium ob latens impedimentum prius ignoratum, dos restituitur uxori.* — Si matrimonium solvitur quoad vinculum viventibus adhuc contrahentibus v. g., per impedimentum dirimens, cum quo ignoranter contrahebant, dos integra resti-

tuenda est uxori putativæ, arg. c. 1. h. t. et ibi Glossa *ŷ*. *Licita*, atque Joan. Andreas, n. 1; Abbas, n. 1, cum communi ac certa aliorum. Ratio est; quia datum ob causam (uti hic matrimonium) causa non secuta revocatur, l. I, ff. de *Condict. culpa data*.

79. *Quid si scienter cum tali impedimento contraxerunt?* — Dicitur autem notanter ignoranter; quia si scienter cum impedimento dirimente aliqui contrahunt, perdunt, quidquid unus alteri dedit, dotem nempe et donationem propter nuptias, fisco utramque acquirente; nisi minor ætas excuset, et comperto errore statim ab invicem discedant, textu expresso l. *Qui contra*, 4, et *Authent. incestas nuptias*, C. de *incestis nupt.*

80. *Si solvitur matrimonium quoad thorum ex culpa mariti, dos restituitur uxori.* — Resp. IV. Si solvitur matrimonium solummodo quoad cohabitationem et thorum, idque sine alterutriusvis culpa, puta, quia unus cum alterius consensu ingreditur monasterium, aut suscipit ordines, dos integra restituenda venit uxori, arg. c. 1, h. t., et ibi Barbosa, n. 3, cum communi aliorum.

81. *Secus si fit divortium ex culpa uxoris.* — Resp. V. Si Ecclesiæ judicio fit divortium, et separatur matrimonium quoad thorum ex culpa viri, dos restituenda est uxori, arg. c. 1, h. t., si vero culpa uxoris, v. g. ob ejus adulterium, ipsa perdit dotem, eaque accrescit viro, c. *Plerumque*, 4, h. t., diciturque magis, infra, a. n. 95.

82. *Præter dotem etiam parapherna, et morgengeba uxori restitui debent.* — Quæritur II. An etiam alia, et quænam præter dotem restituenda sint uxori, vel hæredibus ejus? Resp. I. Casu, quo ob matrimonii separationem, uxori restituenda est dos, eidem etiam, vel hæredibus illius restitui debent paraphernaria, et bona receptitia, necnon morgengeba, uti alias debetur. De paraphernis, et receptitiis patet, quia cum hæc alias pleno jure pertineant ad uxorem, ei, vel ejus hæredibus utique restitui debent, justitia exigente, ut cuius reddatur suum, per vulgaria juris de morgengeba probatur: quia donatio, quam vir facit uxori ex causa præsertim pudicitiae, valet, facitque ut donatum fiat donatarii, arg. l. *Res uxoris*, 24, c. h. t., atqui talis est morgengeba juxta dicta: ergo. Unde de eadem non minus ac de dote, et paraphernis testari valet uxor.

83. *Lucra seu acquæstus, quæ durante matrimonio uni in specie, et intuitu solius*

obvenerunt legato v. g. donatione etc. ei soli remanent. — Quæritur III. Num etiam aliquid, et quid de acquæstibus, seu lucris constante matrimonio acquisitis restitui debeat uxori, vel hæredibus ejus? Ante responsionem notandum, quæstionem hanc multum esse controversam, et propterea certa ab incertis esse separanda.

84. Nam certum est primo, illa bona, et lucra, quæ durante matrimonio uni parti in specie, et intuitu illius solius obvenerunt, v. g. hæreditate, legato, donatione, etc. ei soli ut propria manere, nec inter conjuges dividi, consequenter moriente uno, alteri dimidium restitui non debere.

85. *Si vero utriusque intuitu ambobus simul quid fuit collatum, inter utrumque dividendum venit.* — Certum e contra est secundo, illa lucra, quæ durante matrimonio ambobus simul, ac utriusque intuitu obvenerunt, v. g. hæreditate, legato, donatione, etc. ambobus simul competere, consequenter moriente uno conjuge, alteri, ejusque hæredibus dimidiam talis lucri, seu acquæstus partem restitui debere, siquidem hoc saltem, si non plus probat c. 2, h. t. ibi: « Quæ ipsis, dum simul viverent, cujuscunque contractus titulo communiter obvenerunt, etc. » Ad divisionem eorum compellatis, prout cum communi canonistarum in cit. c. 2, h. t. bene observat Barbosa, n. 6.

86. *Quod etiam fieri debet, si utriusque pecunia negotiatio, aut contractus factus est.* — Certum videtur tertio, etiam illa bona et lucra quæ durante matrimonio per negotiationem, aut emptionem ex utriusque conjugis pecuniis, aut bonis factam acquisita sunt, soluto matrimonio, aut moriente uno, alteri dimidium restituendum esse, Barbosa, loc. cit. n. 6; Pirhing, h. t. n. 29; Abbas, in c. 1, h. t. n. 3, et ibi Alexander de Nevo, n. 6, patetque clare ex cit. c. 2, h. t. ibi: « Vel quæ quocunque contractus titulo communiter obvenerunt; » quæ verba saltem probant, quod, si de communi utriusque pecunia, aut mediis contractus, et ex tali contractu lucrum fiat, eis communiter obvenire censeatur, consequenter juste inter eos dividi debeat.

Unde difficultas remanet de bonis, et lucris, quæ unius, aut utriusque diligentia, parcimonia, labore, arte, cooperatione acquisita sunt. Ad quam.

87. *Lucra, quæ durante matrimonio sola industria et labore viri acquisita sunt, ei, ejus-*